Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Franciscus Hagen de

Panegyricus, Quo Augustissimi, Serenissimi & Potentissimi Principis ac Domini, Domini Christiani Quinti, Pii atq[ue] Felicis, Daniae, Norwegiae, Wandalorum atq[ue] Gothorum Regis, Ducis Sleswici, Holsatiae, Stormariae Et Ditmarsiae, Comitis In Oldenburg & Delmenhorst, &c. &c. &c. Patriae Suae Parentis, Regis Dominique Sui Longe Clementissimi, Auspicatissimum, Exoptatissimumq[ue] Natalem, Decimo septimo Calendarum Maii Anno M DC XC. Applaudente Universitate Viadrina, In Auditorio Philosophico Maiori, Pia devotaq[ue] Mente publice celebrare voluit debuitq[ue] Franciscus De Hagen, Havnia Danus, Phil. & LL. Studios.

Francofurti: Zeitlerus, [1690]

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788032461

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788032461/phys_0001
DFG

H. 421 20.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788032461/phys_0002
DFG

PANEGYRICUS,

Qvo

Augustissimi, Serenissimi & Potentissimi

PRINCIPIS ac DOMINI,

DOMINI

CHRISTIANI

QUINTI,



PII atq; FELICIS,

DANIÆ, NORVVEGIÆ, VVANDALORUM atq; GOTHORUM

REGIS,

DUCIS SLESWICI, HOLSATIÆ, STORMARIÆ ET DITMARSIÆ, COMITIS IN OLDENBURG & DELMENHORST,

&c. &c. &c.

PATRIÆ SUÆ PARENTIS, REGIS DOMINIQVE SUI LONGE CLEMENTISSIMI,

Auspicatissimum, Exoptatissimumq;

NATALEM,

Decimo septimo Calendarum Maji Anno M DC XC.

Applaudente Universitate Viadrinâ,

IN AUDITORIO PHILOSOPHICO MAJORI,

Piâ devotaq; Mente

publice celebrare voluit debuitq;

FRANCISCUS DE HAGEN,

Hafniâ Danus, Phil. & LL. Studios.

Francofurti, Typis CHRISTOPHORI ZEITLERI.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788032461/phys_0003

DFG

Illustrissimo atq; Generosissimo Comiti
ac Domino,

DN. CONRADO

COMITI & DOMINO

de REVENTLAU,

&c. &c. &c.

Elephantini & Danebrogici Ordinis Eqviti
Splendidissimo,

Serenissimi & Potentissimi Daniæ Norvvegiæq; Regis,

CHRISTIANI QVINTI,

PII atq; FELICIS

&c. &c. &c.

Ministro Status Intimo & Consiliario, Sacri Regii Cubiculi Præfecto, Venatorum Supremo Magistro, Dynastæ in Hadersleben, Slesvicensis & Holsatici Ducatus Consiliario Provinciali;

DOMINO MEO LONGE BENIGNISSIMO.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788032461/phys_0004
DFG

ILLUSTRISSIME atq; GENEROSISSIME

DOMINE COMES,

PATRONE, ac DOMINE LONGE BENIGNISSIME.

EXcutienti mihi Literarios Patronorum Faſtos, & velut æternitatis Album dispungenti, primum Illuſtriſſima Excellentia Tua occurrebat, per quam hoc pietatis meæ monumentum & qualecunqve vernum Sacrificium Monarchæ noſtro, MAGNO CHRISTIANO QVINTO, offerrem. Ut auderem tale facinus, Amor ille incredibilis me impellebat, qvo ſciebam Te, in Regem Dominumq; Tuum ita ferri, ut pro

CHRISTIANI *Tui* gloriâ mortem occumbere, diuturnum imo perenne Tuum Votum fuerit. Arbitrabar itaq; haud ingratum Excellentiæ Tuæ futurum, si Illustri ejꝰ Nomini hunc Panegyricum meum sacrarem atq; inscriberem; Qvo tenuis mea Musa, suæ infirmitatis memor, ingentia merita atq; Virtutes Invictissimi nostri CHRISTIANI QVINTI Posteris voluit transcribere. Præterea haudqvaqvam me latebat, Te, Patronorum benignissime, qvotidie cum *Regia Majestate* sociare Sermones, & disciplinæ omnis ac laudandarum Artium Fautorem esse & Propagatorem acerrimum. Cujus Illustris Domus, Generosæ Virtutis ac profugarum Literarum Asylum, imo omnium eruditorum hominum Prytanæum, ac publicum velut hospitium jam olim celebrata est. Qvippe singularis Tua ac prope Divina bonitas, inq; alloqviis Tuis facilitas summa, non Te modo Patriæ meæ reddidit admirabilem, omnibꝰq; venerandum; Sed in Viadrina etiam hac Universitate assiduè ab eo effuse prædicatur, qvẽ nunc studiorum meorum Auctorem sequor. Qvoties Te extra Daniæ fines extulisti, Gentibus qvoq; exteris, & inprimis Divo FRIDERICO VVILHELMO MAGNO Totiqve

Au-

Aulæ Brandenburgicæ, fuisti miraculo. Tuo ore MONARCHA Noster Svecico Bello à Celsissimo Principe, EPISCOPO MONASTERIENSI, Subsidiarium Militem petiit & impetravit. In prælio ad Londinum in Scandinaviâ, incredibilia pericula subiisti, ut ad ultimum Regi Dominoqve Tuo fidem Tuam probares, Eqvum bis mutasti, qvi per corpus Tuum interfectus est, & inclinatam aciem fere solus, iniqvo loco, ad prima signa, animo atqve virtute sustinuisti. Qvod ad Nobilitatem Tuam, ad Generis antiqvitatem & reliqua attinet decora Gentilitia, ea in præsenti nec attingere debeo, neque hoc loco tractare. Qvotusqvisqve enim in veterum monumentis vel mediocriter saltem versatus, ignorare potest, Illustri Gente Reventloviâ nullam in Cimbria antiqviorem, nullam de REGE nostro melius meritam, nullam Magnorum Virorum fœcundiorem extitisse. Hæc superiori Seculo Anno 1535. primum Episcopum Evangelicum Lubecensi Ecclesiæ dedit, Reverendissimum scilicet & Illustrissimum Virum, *Dethlevum de Reventlau*, qvi & infulâ Episcopali & consveto Princi-

pibus Titulo honoris, Dei gratiâ, usus est. Anno 1315. *Hartwichium de Reventlau* protulit, celebrem illum Auratum Eqvitem, violatæ Pudicitiæ Sororis unicæ, vindicem Severum, qvi sub habitu Venatoris Raptorem Virginis Adolphum, Holsatiæ Comitem, Segebergæ in Arce hasta transfodit. Idem divisionem Comitatuum Holsatiæ & Stormariæ, factam Kilonii in Feriis Paschalibus inter Johannem & Gerhardum, Comites Fratresqve, sua auctoritate atqve Sigillo firmavit. Anno 1397. inclyta fuit virtus, justitia & Religio *Brunonis de Reventlau.* Ao. 1402. *Henricus de Reventlau* testis & arbiter captus inter Celsissimum Principem, Henricum, Episcopum Osnabrugensem, Holsatiæ, Stormariæ & Schauenburgi Comitem, & inter Serenissimam Principem & Dominam, Dominam Elisabetham, Ducem Brunsvicensem, & Holsatiæ. Custodiunt porro Venerabile Reventloviorum Nomen Gentilitium Transactionis Literæ, factæ inter Serenissimum & Potentissimum Daniæ Regem VValdemarum, & Gerhardum Holsatiæ & Schauenburgi Comitem. Testatur Alber-

tus

tus Stadensium Abbas notissimus, Inclytam hanc Familiam maximè Anno Christi 1112. floruisse. Et hæc quidem *Paterna* Tua est *Nobilitas*, Generosissime Domine Comes, est Paterni generis Tui antiqvitas, cujus Gentilitia decora brevisimè sum complexus, egregia multa & hominum memoriâ dignissima omittens. Qvod ad *Maternum* Tuum *Genus* & Ranzovianam Nobilitatem & antiqvitatem attinet; Tradunt rerum Scriptores longe gravissimi, illustrem Gentem hanc per *Vipertum Secundum*, Marchionibus Lusatiæ, perque hujus uxorem *Juditham*, annexam esse antiqvissimis Regibus Bohemiæ. Cæterum non audeo in præsenti Genealogias contexere, & Dedicationis paginam hanc ejusqve regulas excedere. Qvare ad Te, Illustrissime Patrone, nunc rursum redeo, & Genium æternitatis Tuæ veneror, rogo atque imploro, uti Levia hæc studiorum meorum rudimenta, apparatum hunc utcunqve rudem, cespites meos, meqve ipsum & fortunam vitæ reliqvam Augustissimo atq; Invictissimo Nostro MONARCHÆ velis commendare, &

deinceps etiam Tuo affectu & perenni gratiâ illum complecti, qui ad rogum usque futurus est,

ILLUSTRISSIMÆ & GENEROSISSIMÆ EXCELLENTIÆ TUÆ

Dabam in meo Museo, Francofurti ad Viadrum ipsis Calendis Maji, Ao. 1690.

Promptus,
Devotus atq;
Fidelis Cliens

FRANCISCUS von Hagen.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788032461/phys_0010
DFG



Magnifice Universitatis Viadrinæ
RECTOR,
Perillustres & Generosissimi Domini
BARONES,
Proceres Academiæ Excellentissimi,
Hospites omnium Ordinum dignissimi,
Tuq; spes seculi melior, Juvenum atq; Commilitonum circumfusa Corona nobilissima.

REdiit nunc anni exoptatissimum tempus: Rediit vernantis Mundi Mensis longe gratissimus. Qvo non Favonii modo Lege naturæ hibernũ Cœlum molliunt, vivisscentia ê terra maritantur, & genitalis Mundi Spiritus animam cunctis restituit: Sed qvondam etiam Principes Populi terrarum bene solebant ominari, tutelares Deos adire sanctiꝰ, & cum solenni superũ

A pre-

precatione favere lingvis & bona verba fundere. Ita Solis ille oculus animusq;, mysticum illud universi templum & Geniorum Mater Ægyptus, Pharmuti inprimis, i.e. Aprilis tempore, præsenti Libyæ Deo, Jovi Ammoni cæsis hostiis litabat, & profligatum Typhonem magno Numini gratulabatur. In Ebræorum Republica, priscâ patriâq; lege erat sancitum, ut Tribus Israëlis qvovis verno tempore divini cultus facerent initium, recentes agri spicas, humanæ spei symbola, Deo offerrent, & innocenti illo munere Majestatem Divinam rite venerarentur. Achivi cœlorum haud vani interpretes, illi naturæ & reconditæ sapientiæ Antistites curiosi, Aprilem reliqvis præferebant Mensibus, & gratissimum hoc anni tempus, velut sacrum naturæ atq; dicatum, summâ colebant cerimonia. Pari religione objectâ, sanctissima qvoqve Romanorum Respublica, Atticæ virtutis & pietatis æmula haud infelix, auspicato hoc tempore ad templa sua pro publicæ salutis Auctoribus hostiis eximiis faciebat, & qvæ majorum Gentium Diis acceptissima videbantur, munera sacrificiaq; Superis suis offerebat. Vidisses eam positis profanarum rerum curis omnibus totam

tam rebus divinis incumbere, & Qviritium qvidē populum Capitolino Jovi Victori Fordicidiis, Matronas vero Nobiles Fortunæ Deæ myrto ſupplicare & floribus. Nec Principes modo Cives Romani, Viriq; Ordinis Ampliſſimi hoc tempore Deorum vacabant honoribus, ſed Paſtorum etiam humilis turba divinitatem Lacte Sapâq; placabat. Hac tam veteri ſanctaqve conſvetudine populorum, tam ſolenni Gentium optimarum ritu, meaq; pietate inductus & ego, conſurgere debui hodie, & remotâ meâ verecundia, Patriæ meæ DEO Tutelari, *Sereniſſimo, Potentiſſimo & Invictiſſimo* CHRISTIANO Vto, *Daniæ, Norwegiæq; Regi Pio atq; Felici* &c &c.&c. Domino meo indulgentiſſimo clementiſſimoqve, qvaliscunqve ſacrificii impensâ ſacrum facere. Debui Fordicidia mea, ſymbola meæ ſpei, ſapamq; meam ſanctiſſimo huic Numini offerre; & auſpicatiſſimum hunc menſem qvanto apparatu vel ſcivi vel potui ex induſtriâ concelebrare. Hic enim exoptatiſſimus ille menſis eſt, duplici auſpicio mihi venerand9, cujus tertia dies ſacra in faſtis eſt ſanctiſſimo Chriſtianorum Nomini, decima qvinta vero dies, AUGUSTO CHRISTIANO Noſtro primum vitæ,

tot vero amplisſimis Regnis & Gentibus ſum-
mæ felicitatis dedit auſpicia. CHRISTIA-
NO V., inqvam, Regi Piisſimo, Fortisſimoq;
qvi Phrygii Herois geminorumqve Fratrum,
& Romuli Patris virtutes ita ſuperavit, ut non
Homericum modo Capitolinumqve Jovem
longe poſt ſe relinqvat, ſed velut benignisſi-
mum qvoddam ſidus, jam tum in ipſo Orien-
te ſuo, Cœleſti Nomenclaturæ adſcriptus fue-
rit. Qvi feſſis rebus humanis ſedulo ſubve-
niens, cœleſti paſſu, Regiâ qvaſi viâ ad æter-
nam Nominis gloriam pergit, & cum omni-
bus Gentium Diis bene merendo de humano
genere, contendit. Atq; utinam digna mihi
tanto Rege, digna etiam illuſtri hoc Audito-
rio contingeret Oratio! Utinam Majeſtatem
mei Principis pietate ſatis devotâ & verbis ce-
dro dignis & minio recte poſſem colere atq;
laudare. Verum enim vero cui tantum inge-
nii datum eſt â Diis immortalibus? cui tanta
facundia contigit unqvam? ut vel invicti Regis
mei ſummam Majeſtatem, Martium robur,
Gloriam Majorum, Imperii ſedem, Auguſtale
Decus, & res geſtas omnes anguſto orationis
gyro poſſit comprehendere? Ad me qvod at-
tinet, ſatis ſcio & profiteor libenter, me nec

tanti

tanti ſolis clarisſimum jubar fixis & inconniventibus oculis posſe intueri, nec in venerationem illius afferre aliqvid, cui ad excellentisſimam & perfectisſimam Mentis veſtræ obrusſam, Proceres Excellentisſimi, verus color conſtet. Qvippe nec in bicipiti ſomniavi Parnasſo, nec fonte labra prolui Caballino, ut Perſius loqvitur, ſed exiguum ſaltem elapſum eſt intervallum temporis, ex qvo Patriæ meæ reliqvi Penates, & in hunc locum ad capiendū ingenii cultum profectus ſum. Unde cura haud levis meum animum ſubit, ut, qvem meditor in præſenti, ſermonem, ex Regis Dominiq; mei Majeſtate posſim expedire, & dignum tanto Heroe facere præconium. Præterea ſatis ſcio, clarisſimos Bartholinos, melleo delibutos eloqvio, & Demoſthenes alios, ad ſummam facundiæ gloriam asſurgentes, Decora Regis mei jamdudum proſecutos eſſe; & res ejus geſtas tradidisſe memoriæ. Qvare incertus animi anxiè qværo, qvæ mihi potisſimum verba exoptatisſimo hoc tempore ſumenda ſint. Ne ſcilicet, ſi parcè admodum Virtutis Regiæ & extremæ fortitudinis decora attigero, exiſtimer pectora Abderitanæ Plebis gerere, vel ſi juſte juſtisſimas laudes inter juſtos

prosecutus fuero, proximus videar blandienti. Inter has timoris & verecundiæ symplegadas Maleæq; Saxa horrenda, anceps hodie & dubius fluito, & velut in sinuosum qvendam & inextricabilem labyrinthum delatus sum, unde nullo alio adjumento exitum possum qværere, qvam Ariadnæ filo altero, i. e. Vestra, Proceres Universitatis Excellentissimi, inusitata humanitate & benevolentia. Huic itaq; venerabundus in præsenti adsum, & manus tendo supplices: infimis precibus petens, uti me in celebriori hoc Eruditorum conventu primùm verba facientem, Fronte Vestra, i. e. benignissimo vultu, velitis excipere. Impetret, rogo qvæsoqve, attentionem Vestram veniamq; mea pietas, cui antiqvius est visum, tremula hæsitanteq; voce, inter vota publica balbutire, qvam ingrato silentio debitum mei officii, omnemq; obseqvii gloriam perdere. Et licet procul hactenus ab Armis lituisq; in Umbra Lycei & secessibus Pindi latuerim, nec ea mihi hacten9 contigerit felicitas, ut vel præsens immortalia opera omnia, qvæ Magnus noster CHRISTIANUS in magna Mundi Orchestrâ edidit, potuerim intueri, vel absens famâ atqve auditione percipere, conabor tamen di-

vinam

vinam ejus vitam à primis auſpicatisſimisqve ſuis initiis ad hodiernum usq; diem deducere, virtutes Regias omnes, omnes corporis animiq́; dotes & omnia facta Heroica pro virili parte enarrare & huic prædicare auditorio. Qvod dum molior, Auditores Omnium ordinum dignisſimi, ſecundisſima qvæq; mihi & æqvisſima de inuſitata veſtra humanitate & ſummâ benevolentia promitto. Jam me *ad Auguſtisſimi* oraculi Tui Thronum ſiſto *Regum Sereniſſime Potentisſimeq́*, ſiſto me ad venerabile Domini mei ſolium, ut genibus advolutus, Sceptri gemini venerer Majeſtatẽ, & devotus Curule ebur & ſacram Purpuram adorem. Liceat mihi contra nunc intueri; liceat palleſcentia ora oculosq; attollere, & victricem dextram, tot populis venerandam, attingere atq; diſſvaviari. Et principio qvidẽ me decet, Domine, Te Solem meum, vocibus fauſtis & bonis ominib9 excipere, revolutumque hunc natalem felicisſimum Majeſtati Tuæ & Patriæ meæ gratulari, atq; ita Cœlo Tuo orationis meæ devocare exordium. Scilicet ut qvemadmodum Aratus olim à Summo Jove, & Vates reliqvi à Camœnis exorſi ſunt, ut ingentibus ſuis cœptis proſperos ſucceſſus au-

gurarentur, ita meus quoq; animus Genium æternitatis Tuæ in Sermonis Vestibulo advocet atq; imploret. Adest enim mihi locis omnibus, & cum patui voce & cum meditatione secessi; adeo ut ne alienum qvidem solum vel locorum intervallum, imaginem Regis mei, menti meæ atque memoriæ eripiat. Et qvamvis me haud fugiat, Domine, Alexandros Macedones, & his Majores CHRISTIANOS Reges Daniæ, à nemine alio qvam ab Apelle esse pingendos; nec ducendos ære, nisi à Lysippo Sicyonio: audebo tamen TE, CHRISTIANE MAGNE, solenni hoc & festo die dicere, audebo ingentia Tua decora, incredibilem virtutem, Heroici animi dotes, Clementiam, constantiam, fidem & admirandam illam fortitudinem, non tam clarissimis Oratoribus gratissima commemoratione repræsentatam, qvam constanti seculi nostri præconio decantatam, revocare atque repetere. Cæterum cum plurimum momenti in eo positum sit, ut genus humanum omne, & inprimis Illustre hoc Auditorium probe intelligat, qvæ vitæ Tuæ, *O vita nostra & Anima*, exordia atqve progressus fuerint, inde nunc orationis meæ capiam primordium, & auspica-

tissi-

tisſimi exortus Tui primùm mentionem faciam. Nimirum ut, qvemadmodum clarisſimorum ſiderum curſus motusq;, à certo cœli puncto deducuntur, ita etiam ortus Tuus, *O Fulgentisſimum Aſtrum*, variis miraculis involutus, in qvodam ſphæræ cœleſtis orbitæqve ſuæ puncto collocetur.

Agebatur Annus ſupra milleſimum ſexcenteſimum qvadrageſimus ſextus, Aprilis Dies qvintus decimus, cum exoratus Terris Deus, *Te, Sereniſſime* CHRISTIANE, velut alterum qvoddam Palladium & ſanctisſimum Ancile, Regnis Septentrionalibus, & Patriæ meæ permitteret. Cum Te, Sidus Novum exoriens, beatisſimâ Luce circumfuſum, Bellonæ pariter ac Literis beneficum ac ſalutare, in editisſimâ Mundi hujus ſpecula collocaret omnibus populis adorandum. Vertebatur mox in ingentẽ lætitiam Dania omnis, Cimbria omnis, ultimaq; Thule, & in illo pietatis extremæ calore, lætisſimoqve applauſu, omnis ordo, omnis ætas, geſtientis lætitiæ argumenta fronte geſtuq; depromebat. Qvippe ſentiebant omnes, ſentiebant ſinguli, magno ſeculi Bono Auguſtum Chriſtianum natum eſſe omnibus, Regiæ Stirpis inclytum Germen, illum Hero-

um Heredem felicisſimum, tot populorum arbitrum futurum & Moderatorem: Cui recens edito Balthica Thetis, i. e. Regia Mater clypeum fatalem, armaqve impervia telis, i. e. ſummam virtutem & fortitudinem non à Vulcano, ſed à Deo impetraverat. Neque una modo Sialandia Cymbriaq; effuſa erat in ſummum gaudium, feſtumqve diem celebrabat; ſed ipſe terrarum Orbis omnis, & remotiſſima Regna qvævis, ipſumq; Romanum Imperium Ter Maximo Friderico Patri, genialem Auguſtæ ſubolis felicitatem gratulabatur. Præſagiebat namque mox omnium animus, etiam Daniæ noſtræ natum eſſe Achillem alterum, natum eſſe columen qvoddam culmenq; Domus Regiæ, Natum eſſe Atlanti Maximo fatis deſtinatū Herculem Succeſſorem, qvi jubatos interficeret angves, Nemeæumq́; Leonem ſingulari certamine vinceret. Inter reliqvos occultorum fatorum interpretes veredicos, Præco & Augur Piiſſimus, Henricus Rantzovius, Magno Natali Tuo, *Sereniſſime* CHRISTIANE, optime tunc temporis eſt ominatus. Qvi nec irrita voce, nec augurio vano, Tibi, Regio Nato, Felicitatem Chriſtianorum, Fortunamqve & Pietatem: Magnanimi-

nimitatem vero, Clementiam & manſvetudinem Fridericorum, imo glorioſas adverſus hoſtes victorias à Deo in ſacro baptiſmate mente devotâ precatus. Sciebat enim Vir in conjecturis ſagacisſimus, tot virtutibus præditum Regium filium Daniæ debuiſſe naſci, poſtqvam Marti Minerva, id eſt, SOPHIA AMALIA FRIDERICO TERTIO nupſerat. Et certe, ſi vera loqvi volumꝰ, qvod velle debemus, character hic Avitæ divinitatis tanto ſplẽdoris incremento in TE, CHRISTIANE *Ter Optime Maxime*, tranſiit, ut non Auguſtisſimorum modo Parentum Virtutem, ſed omnium Regum Daniæ Majeſtatem & felicitatem ſuperaveris. Qvid enim Scioldi fortitudo eſt & Bonitas, qvid conſtans ille in Milites Civesq; Amor? qvid Froti liberalitas? qvid Religio ERICI PRIMI? qvid Sanctitas CANUTI QVARTI? qvid VVALDEMARI PRIMI magnanimitas atq; Clementia? Qvid ſunt, inqvam, hæ virtutes collatæ cum Excellentisſimis & Heroicis Tuis virtutibus. Ut ſtellæ interdiu non apparent, ſed abſcondit eas luminis diurni claritas, ita etiam minora hæc virtutum Lumina Magni ſolis noſtri, id eſt, Tuis, AUGUSTE CHRISTIANE, radiis abſconduntur & humanis eripi-

untur oculis. Et hinc qvidem non casu aut temere factum, sed manifesto qvodam æternæ destinationis decreto accidisse arbitror, qvod primum Tibi, DOMINE, inter Daniæ Monarchas Gentis Oldenburgicæ, Qvinti cognomen contingere debuerit. Sive enim Qvinarium hunc numerum mysteriaq; ejus in se considerare, sive illorum Regum & Imperatorum Europæ Fata, virtutes, & res gestas contemplari voluerimus, qvi immortali hoc cognomine inter mortales usi sunt, inveniemus profecto, id qvod longo rerū usu compertum est, nihil hoc charactere aut sanctius fuisse & magis divinum, vel Regnis & Rebuspublicis exoptatius & auspicatius. Qvod non accuratè modo tenuerunt Coptorum Summi Pontifices, arcanorum omnium Custodes & vindices, sed observarunt qvoq; Pythagoricæ scholæ & cœtus reliqvi Philosophorum; qvi tantam virtutem mysticæ illi Pentadi sacræ attribuerunt, ut crederent, posse adjumento qvinarii Numeri abscondita mysteria naturæ, & præcipue divini Spiritus, id est, animæ humanæ compositionem deprehendi. Qvoniam Periodo & circumflexu Divini hujus Numeri maxima qvæqve, velut suis finibus

bus atqve circuitu circumſcriberentur. Dari enim qvinq; ſuprema æternaqve, Deum, Genium, Animam, Mundum & Corpus. Dari ſenſus qvinqve humani corporis: Organa ſenſuum qvinq;: & qvinqve Animæ cognitiones. Paucis: Excellentiſſima genera rerum cuncta, Pentade hac Sacra comprehendi, qvinariumq; Numerum in œconomia Numerorum principatum tenere, & eſſe revolutionis animæ abſolutum atq; perfectũ aliqvod ſymbolum. Neqve ipſe tantum æternus atqve cœleſtis hic Numerus naturâ ſuâ abſconditus eſſe credebatur myſteriisq; plenus; ſed Characteri qvoqve ipſius & notæ illi ſolitæ, qva inter Qviritium Numeros, ſub hac figura (V*) vau Conſonantis exprimitur, egregiæ virtutes & ſingularis animæ affectus erga Deum tribuebatur. Qvoties enim ex Hieroglyphica Ægyptiorum traditione, juxta Anagogicũ aut Magicum ſenſum legebatur; Amorem animæ, à Centro ſignificabat verſus ſuprema & verſus cœleſtem patriam: quemadmodũ figura literæ latinæ T, (qvæ Crucis formam exprimit,) myſticè pronunciata, legebatur Ægy-

D ptiis,

* In Bembina Tabula Amor à Centro verſus ſuprema hoc charactere exprimebatur V. & legebatur. *Amo æterna.* Cœli autem amor verſus inferiora hac notâ Hieroglyphicâ Λ ſignificabatur. *Kirch. Cap. ult. Prodr. Copti.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788032461/phys_0023
DFG

ptiis, *Vita ventura est.* Et hic qvidem Character Divinus, sanctus hic Character, Character qvoq; Tuus est, *Serenissime* CHRISTIANE QVINTE, qvi non solum Te à reliqvis Regibus distingvit in terris, sed satis superqve ostendit, esse Tibi cœlum in oculis, in pectore æternitatem, summumq; amorem Numinis; infra hæc Te ponere omnia, qvæcunqve in terris possides.

Sed qvid inhæreo ego notis ac Characteribus Cabalisticis? Qvid Heliopolis adyta atq; Sacella, diruta jam olim suoq; sepulta Cinere scrutor? Qvidni potius Annales consulo superiorum temporum, &, quæ illustrium Historicorum studiis ad nos & seculorum æternitatem sunt transmissa, revoco atq; propono. Qvippe legere poterimus in ævi tabulis sempiternis, in famæ libris æneis, optimos felicissimosq; & Deo simillimos Principes illos fuisse in terris, qvos sanctissimum Qvinti Cognomen & divinus hic Character, à reliquis Terrarum Dominis distinxit. Ut à Romano Imperio ejusque Moderatoribus sumam primordium. Dii boni, qvalis Imperator in Carolo Qvinto datus fuit qvondam Germaniæ? Qvæ Virtutis, Constantiæ, fidei omnibus servatæ,

vatæ, ac ſummæ fortitudinis experimenta ille non edidit? Hic Galliæ ſuperbienti primas compedes impegit, & Franciſcum Primum Potentisſimum Regem in triumphum abripuit. Hic primus, & fortasſis etiam ultimus Cæſarum Romanorum, Imperatoriam ſedem Romam, terrarum Orbis Caput recuperavit & Imperio reſtituit: Arcem Angeli inexpugnabilem expugnavit: Papam de Throno deturbavit, Fortisſimum Heroem Joh. Fridericum, Electorem Saxoniæ, captivum duxit, Victricia arma per qvatuor mundi Cardines una cum Sceptro circumtulit, Aſiæ, Africæ atqve Americæ jura dedit, omnem fere Europam in poteſtate tenuit, populos immanitate Barbaros, Res Avorum geſtas, ſeq; ipſum qvodammodo ſuperavit, &, qvod Laudum omnium complementum eſt, ipſum Chriſtiani Nominis hoſtem Solimannum Turcarum Tyrannum, humani generis metum ac pœnam, Auſtriæ Europæq; imminentem terruit atq; fugavit. Inter Romanæ Eccleſiæ clarisſima Lumina, inter illos ſanctisſimi Numinis Vicarios (qvales haberi volunt) Optimi ſemper fuere, & virtutis venerationem ubiq; invenerunt, cognomine Qvinti. Qvod nominis ſui famâ, &

exemplo Orbem docent Bonifacius Qvintus, Gregorius Qvintus, Innocentius Qvintus, Hadrianus, Alexander & denique Nicolaus. Pontifices omnis memoriæ clarisſimi, qvibus ſimiles Romana Eccleſia, ne voto qvidē concipere, nec, ſi Clementem novisſimè defunctum excepero, pares pietate habere potuit. Eodem modo animi Corporisq; dotes ſingulares, virtutesq; admirandæ, ante rerum faſtigium, non reliqvis modo Regibus Heſperiæ, ſed ipſa mortalitate ſupervexerunt Alfonſum Regem Hiſpaniæ, & Ferdinandum cognomine Qvintum. Cujus auſpiciis & ingentibus meritis, non Eccleſia modo Chriſti ſummum incrementum, & tot Barbararum Gentium fidem & obſeqvium erga Deum debet, ſed Europa etiam Novum Orbem fert acceptum, Auriferam illam Americam, immenſos Theſauros ad Nos devolventem, ſummasq; divitias. Qva felicitate autem, pietate, & fortitudine, in Gallia Philippus Qvintus, Ille Pariſienſis Academiæ inſtaurator Auguſtus, & Carolus: in Anglia Henricus Qvintus, in noſtra Dania Canutus & Olaus, in Svecia Ericus & Carolus, in Polonia Vladislaus, & in Hungaria Stephanus gloriæ & felicitatis prærogativam

vam tulerint, omne ævum loqvetur & cana annunciabit æternitas. Pari itaq; præsagio faustissimo, Cœloqve lætissima omina exhibente, contigisse videtur, qvod Tu qvoq;, CHRISTIANE *Invictissime*, CHRISTIANE QVINTE, AUGUSTE, auspicatissimo hoc cognomine insigniri atq; à paribus distingvi debueris. O miram vim Fatorum! O consilia magna Magni numinis! qvæ intelligi tum demũ possunt, ubi ipsa se explicant atq; ostendunt. Intelligit nunc demum Orbis terrarum, qva sorte, qvove fato, divinũ hoc Tibi cognomen ceciderit; scilicet ut ad tantum rerum humanarum fastigium Te efferres, qvò se humanus animus attollere, & mortalium virtus anniti potest atq; ascendere. Ut lumen esses Rebus nostris dubiis, Patriæ summum Præsidium, Hostium nostrorum Terror Fulmenqve, Civium Amor, Justitiæ Columen, & felicissimus Restaurator antiqvæ Danorum Gloriæ. Hanc ob causam Te solers natura genuit, Gratiæ perfecerunt, Divina Providentia à teneris servavit, Virtus & Bellona in Contubernio educavit, Fortuna provexit, & rerum gestarum magnitudo immortalẽ reddidit. Te, inqvam, DOMINE, qvi *moribus* nunqvam fuisti *moro-*

ſus, in celſisſimo humani generis *faſtigio* ſine *faſtu*; Haſtâ eruditus ad Sceptra, galeâ ad Coronas, Loricâ ad purpuram, ad Avitum vero Paternumq; Regnum, virtute & ingentib9 meritis. Genitorem Tibi, benignisſimum Numen, prudẽtisſimaq; natura, *Fridericum Tertium* dederat, Principem omnibus Imperatoriis Regiisq; virtutibus inſtructum. Cui, inter reliqva egregia facta Heroica, non in ultimis laudum fuit, Avitum Daniæ Regnum, Senatoriis procellis agitatum, tam felici rerum ſucceſſu vindicaſſe ab interitu, ut hodie Dania tam prope à ſumma felicitate abſit, qvam olim fuit ab exitio. Res ſeculis omnibus inaudita, qvam vix credet ſtupens poſteritas; Auguſtum Parentem Tuum, tot diſcordiarum inteſtinarum ſemina, tot potentisſimorum hominum factiones, tot Procerum Regni diverſa ſtudia, ſine cæde, ſine Civili ſangvine potuiſſe compeſcere. Verum enim vero ſic petitur Cœlum, & hac viâ Regiâ itur ad æternitatem nominis. Opportunum eſſet omnẽ hoc loco vitæ ſeriem Friderici, Auguſti, replicare: Utile foret exaggeratâ oratione repetere ac percenſere, qvæ bona ex limpidisſimo hoc fonte in mortalium genus, meamqve

Patri-

Patriam defluxerint. Sed qvæ tàm amplis tamqve diffusis rebus sufficere posset Oratio? Versatur adhuc in famæ ore & hominum recenti memoriâ, qva Clementia & ambitione, qva Comitate & Gratiâ, Rex omnium longe indulgentissimus præclara seculi sui ingenia exceperit. Qvæ emporia Scientiarum & sapientiæ Hafniæ excitaverit, qvibus Gloriæ vectigalibus Musarum Cimelia locupletaverit; qvantoq; fortius olim in longinqva illâ & acerrimâ obsidione, Cives suos eorumq; fortunas, pectore suo defenderit, qvam tueri eos poterant munimenta valli, & Armatorum magni exercitus. Qvæ vero Virtus Serenissimæ Tuæ Genetrici fuerit, Domine, Fama prædicat adhuc ubiq;, & in sempiternam hominum Memoriam disseminat. Regina illa erat splendore, Majestate, atqve fastigio. Regnis Regiæq; Proli optima Mater; Pietate in Deū & Cœlitum societate, melior Sibylla: Religionis experimento Claudia, Fortitudine Altera Margaritha Cloeliaq;: Sulpitia Castitate, Amore in Subditos Zarina, fide atq; tenerrimo affectu in Regem Conjugem Artemisia, &, ut uno verbo omnia complectar, formæ, Virtutis, & Regiæ Generositatis unicum perfectis-

simumq; exemplar. Qvæ Genus suum non cum Oreste ducebat à Tantalo, aut Promethæo sangvine, sed altius ascendens, ab ultimâ seculorum memoriâ nobilitatem suam & generis antiqvitatem probabat. Orta enim Georgio Magnanimo, Brunsvicensium Duce fortissimo, & Annâ Eleonorâ, Ludovici Vti, Hassiæ Landgrafii, filiâ. Qvorum prosapia non eminentissima modo Germaniæ culmina, sed ipsa maximorum Cæsarum fastigia complectitur, & Soli Soloq; æqvalis, Stemmatis sui primordia, ad ultima secula refert. At tantâ Matre natus, tantoque Patre genitus es, *Monarcha noster Invictissime*, MAGNE CHRISTIANE QVINTE. Natus es auspicatissimo illo tempore, cum Duo Soles, Duo oculi Daniæ, Genitor Avusque Tuus, in eodem axe, pulsis Trionibus perpetim excubarent, & unus qvidem Sidoniis, alter vero Pelasgis puppibus propitius, summa Luce luceret. Ita nimirum rerum humanarum seriem connexuerant fata, ut, cum vicina Germania Belli Civilis incendium sustineret, & turbines omnes, omnesq; procellæ sævirent, Palinurus sapientissimus, & cordatissimus Tiphys Daniæ nostræ concederetur; Serenissimum

simum Avum Tuum, CHRISTIANUM QVARTUM intelligo, DOMINE, qvi nominis Sui Famam rerumq; gestarum memoriam iisdem finibus terminasse videtur, qvibus genus humanum omne, & Mundi hujus Compages circumscribitur. Laborat Annalium fides, dum prodit, & minora tamen vero olim comperta sunt. Inter reliqvos autem honoris atq; virtutis Titulos, &, qvos passim sibi Danorum ille Cæsar statuit in terris, apices gloriæ perennis, admiranda etiam nunc opera pacis, & æterna nominis Christiani monumenta supersunt. Profitetur ita sanctissimum hoc Conditoris sui nomen, in Scandia Christianostadium & Christianopolis, Munitissimæ Urbes: In Norvvegia, Christiania, in Sialandia & ipsâ Metropoli Regni, magnifica Curia Mercatorum, prolatum Hafniæ Pomerium, Armamentarium insigne, cui par aliud Europa haud novit, & præ cæteris omnibus, Friderichsburgum, portentosum illud humani ingenii opus, æternumq; Regiæ Magnificentiæ documentum ad posteros. Qvod primum exoptatissimis FRIDERICI Secundi auspiciis intra Danica Tempe fundatum, sumptibus deinde Avi Tui, *Potentissime* CHRISTIANE Qvarte, ad eum splendorem

productum est, qvo hodie conspicitur. Nihil ibi vulgare, Auditores, nihil plebejum, omnia summum ingeniorum lusum, & Regiam opulentiam ostendunt. Noli mirari, *Serenissime Noster Auguste*, noli mirari, rogo qvæsoqve, me tot verborum encomiis, meritis Tuorum incumbere atq; succumbere ferè. Pertinet enim ad Majestatis Tuæ gloriam, ut Patria mea probe intelligat, qvæ bona à Te, & Regiis Tuis Parentibus acceperit; Constat enim satis non Sialandiam modo, à Serenissimis Tuis Majoribus egregiis monumentis, arcibus, castellis, portubus, turribusq; esse exornatam, sed radium qvoq; benignissimorũ horum Siderum in alias easqve remotissimas Terras se qvoq; diffudisse. Ita extremus Boreas, perpetuoq; Gelu Islandia rigens, divini sermonis Alimoniam Regiis Tuis Majoribus debet: Stormaria Suum Glückstadium, & cum eo tot valla & vallorum loricas, aggeres, vineas & innumera ornamenta alia, inprimis Pharum illum egregium, paucorum dierum opus, qvi Glückstadij ad Portus introitum conspicitur. Qvem Augustus ille Christianus Qvartus in hunc usum posuit, ut abeuntes redeuntesq; ad Mare naves, coerceret, & nocturno navium cursu

ſu ad pronuncianda vada ignes ſuos oſtende-
ret. Qvæ vero Privilegia Mercatorum Col-
legiis, & Reformatæ Eccleſiæ Belgicæ, CHRI-
STIANUS Ille *Chriſtianiſſimus* Glückſtadij
conceſſerit, ſempiterno hominum ſermone
prædicabitur, nec ulla delebit oblivio. Qvip-
pe ſub fatali Scuto, & felicisſimo Patrocinio
Sanctisſimi hujus Herois, primum Eccleſia
illa inter Pelagi Cœliq; minas deſtituta, flu-
ctuans per fluctus Decumanos, ſaucio malo,
& fatiſcente Carinâ, Aſylum portumq; & af-
flictæ Conditionis ſuæ invenit præſidium. Pa-
ri felicitate, pariqve virtute atqve clementiâ
reliqvi Reges, à qvibus *Tumet*, *Sereniſſime*
CHRISTIANE, & genus & ſangvinem du-
cis, Danici Regni & tot Provinciarum Guber-
nacula tractarunt. Qvod itaq; Barbarus qvi-
dam Imperator Romanus de Qviritium Urbe
jactare olim conſveverat, ſe ſcilicet Romam
lateritiam accepiſſe, reliqviſſe marmoream;
id verius & ſanctiori Jure de *Te*, *Domine*, &
Regiis Tuis poteſt prædicari Majoribus, qvi
Daniam non lateritiam qvidem, ſed nudatam
monumentis, nudatam ornamentis omnib9
acceperunt, Auream vero, i.e. tot arcibus at-
qve Caſtellis, tot propugnaculis & ædificijs

publicis condecoratam reliqverunt. Sed redibo in Ordinem. Summum nobilisſimumq; vitæ humanæ bonum, Chriſtiana eſt Religio, præ qvâ terrenarum rerum omnium & ſalutis etiam jactura Lucrum eſſe videtur. At hunc qvoq; theſaurum inæſtimabilem Patria mea Abavo Tuo debet, *Domine*, *Chriſtiano Tertio* ſanctisſimo illi Principi; qvi antiqvatis & rejectis humanis traditionibus, qvæ apud Deum mera ſunt ſtultitia, primus ſemina verbi Divini per Bugenhagium ſparſit, & Civium ſuorũ animos Evangelica imbuit veritate. Qvod ſi Regnorum gloriæ haud leve momentum in eo verſatur, qvod Principis Virtus apud exteros qvoqve prædicetur: habet certe Dania, cur ſemet in eodem *Chriſtiano Tertio* jactet. Qvi Ruſſici Imperii decus & Diadema, ſolenni qvadam Legatione ſibi oblatum modeſtisſimè recuſavit. Si gentem ſuam ad ſumma rerum faſtigia evexiſſe, Imperiiqve ſui fines longè lateq; protuliſſe, cuiqvam Principi gloriæ ducendum, de tali qvoq; tamqve egregio exemplo Patriæ meæ in Majoribus Tuis, *Chriſtiane Sanctisſime*, licebit gloriari, & Chriſtianum Primum Gentibus omnib9 oſtendere. Qvi trium Regnorum Sceptra in Paternam

Do-

Domum intulit; obstinatam Sveciam subegit; res terrâ Mariqve gesſit fidem ſuperantes: Holſatiam firmavit; Stormariam & VVagriam domuit; & Ditmarſiam opulentam, fretam ſuis viribus, ſæpius vicit, & ſuo ſubjecit Imperio. Qvalis vero Tanti Regis Genitor; qvalis Theodoricus Fortunatus, Comes Oldenburgicus, qvales Majores omnes, & in eis lucidisſima Aſtra, Johannes Qvartus decimus, Butjadarum Statlandorumq; Victor & Triumphator, Johannes Decimus ſextus, Gebhardus, & Chriſtianus bellicoſus; qvalis Elimarus & Ringelheimius, &, qvem Illuſtrisſima Gens Oldenburgica Generis ſui nuncupat auctorem, VVitekindus, Dux ille Saxonum maxime ſtrenuus fuerit; Annales loqvuntur omnium temporum, & ipſa profitetur Æternitas. Et huic qvidem nobilisſimæ Stirpi, Tu Tuam qvoq; Originē debes, pulcerrimè virens florensqve Rame, omnium maxime patule, *Sereniſſime Chriſtiane Qvinte*, Regni ſalus & Tutela, Rerumqve noſtrarum grande Decus atq; præſidium. Qvi haud ſecus, qvàm vitis illa generoſa, qvam exercituum Dominus ex Ægypto tranſtulerat olim, umbrâ Tua non montes modo altisſimos tegis, palmiteq; Tuo

maximas Cedros; sed in Orientẽ ipsum, & qvà Orbis terrarum patet, Sceptri Tui radios spargis atq; diffundis. Nulla Gens in tantum ab humano exulat ritu, nullus populus adeo ad alterutrum cardinem mundi recessit, qvi venerabile nomen Tuum, nominisqve omen ignoret. Dominaris à Mari ad Mare, nec Indorum modo & qvos torrentis plagæ sidus urit, Afrorum Lingvis prædicaris, sed Europæ universæ, & inprimis Romano Imperio carus, vulgo nunc Amicus, Socius, Assertor splendoris Imperatorii & salutis publicæ vindex clues. Operæ pretium erit admirabilis vitæ Tuæ recensere curriculum, postqvam Origines glorioſisſimas audivimus. Lucere cœpisti, Sol noster splendidissime, ad plenum gloriæ Tuæ Orbem, primamqve stationem in Tua feciſti Eccliptică, in sacra Iside, ad oculum Taurini Sideris; eo in loco scilicet, ubi vetus Ægyptiorum disciplina, Hori sui dominium statuerat. Certo qvodam & arcano naturæ auspicio; qvæ mox ludere in ortu, & veredicis præsagiis futuram magnitudinem Tuam, cui Te Deus destinasset, significare voluit. Respondit ergo illustri Tuæ origini educatio felix & subseqvens ætas. Cum Regii Parentes

Tui,

Tui, Te, Fortunæ & Cœli depoſitum, Te ingentis publice privatimq; decoris materiem, exqviſito Regioq; cultu educarent, & omni ſua nutrirent indulgentiâ. Non deerant Puero Tibi incitamenta & exempla gloriæ, nec deerant Virtutis Magiſtri, qvi Regium Tuum animum iis artibus erudirent, qvibus ingenia ad maximæ Fortunæ cultum excitantur. Cum primum adoleviſſet ætas, confeſtim blandimenta omnia abrumpebas, & reb9 militaribus, & mathematica arte incipiebas delectari. Præter ſolidiora autem literarum ſtudia & cultum animi, Arti inprimis Eqveſtri, nobili illi, & Heroibus digniſſimo exercitio, dabas operam. Qvam vix tractare inceperas, cum poſt prima rudimenta artis, tantos progreſſus faceres, ut non vulgares modo ſcires eqvorũ gradus diligenter dirigere, mollesq; alterno crurum explicatu glomerationes moderari, ſed docere etiam eqvos tolutim carpere incurſus, & ad Eqvitis præcepta ſemet in Orbem agere. Vincebas deinde, exacto breviſſimi temporis curriculo, non Magiſtros modo Artis omnes, ſed, qvod pace dixerim maximorum Principum, omnib9 Tuis æqvalibus hodie adhuc palmam præripis Eqveſtris

ſcientiæ. Cæterum non poterat unicum ſtudium Eqveſtre, honeſtiſſimos Tuos conatus, & diſcendi ſatiare deſiderium. Jam itaq; punctim ferire diſcebas gladio: Jam ad Epaminondæ Exemplum, ſaltando exercebas corpus, jam venando peragrabas circa ſaltus nemoraqve & mox feras nobiliores agitabas, mox te invaſuros apros, eximiæ magnitudinis, non venabulo modo fortiter excipiebas, ſed fortius vulnere ipſo occidebas. Atq; hoc pacto omnes omnium dierū horas complectebaris, ut majorem partem diurni temporis Pietati, Regno, & arduarum rerum ſtudiis impenderes, qvod vero otii reliqvum forte erat, honeſtiſſimis Exercitiis concederes. Frigoris præterea Tibi & Caloris par ſemper patientia fuit, Cibi etiam potionisq; deſiderio naturali, non voluptate modus finitus. Qvibus rebus fiebat, ut Serenisſimus Parens mature Te ad Reipublicæ admoveret Gubernacula. Scilicet ut Paternis Avitisq; auſpiciis Tyrocinium primum primaqve regnandi rudimenta poneres: Anno itaq; ætatis Tuæ tertio decimo, non perpetuus tantum Conſiliorum & Paternorum actuum Adjutor eras atq; æmulus teſtis, ſed qvod moderationis Tuæ maximum

ximum indicium est, Successor etiam Imperii, imo particeps & Socius placebas. Ex illo tempore nunqvam cessasti, *Domine*, omnium Tibi favorem conciliare, & omnes prompte juvare. Innocens enim ipse in nocentes summa utebaris Clementiâ, & Auctor omnibus eras mitiorum pœnarum, tam supplicia perosus qvam flagitia. Regia bona sine exceptione personarum administrabas, qvia Tibi præstabas, qvi non ab hominibus laudis expensum, sed à Deo præmium expectabas, remuneratore & exactore indifferentis beneficentiæ. Cum hac indole virtutum, lustrare aggrediebaris Regiones exteras, ut ex peregrinis ritibus Regiæ prudentiæ augeres supellectilem. Profectus itaq; bonis ominibus, melioribus ubiq; exceptus, omnem fere occidentalis Europæ plagam itineribus emetiebaris, Patrias Gentium Leges, aditus locorum, Urbium munitiones, Genium populorum & qvidqvid futuris Tuis commodis poterat servire Tibi notabas. Subibas deinde Larem atqve Penates Potentissimi Regis Galliæ, & in peregrino solo hospitabaris; Leo inter Lilia, Amalonicus Agnus & candidissimus olor cum Delphino; donec confe-

cto longisſimi erroris curriculo, velut Titan Orbis melior, ad primam ſtationem reverteres. Date veniam, Patroni & Proceres Universitatis Excellentisſimi humanisſimiqve, date veniam, rogo qvæſoq;, meæ pietati & honeſto, ut ſpero, conatui: Si veſtra patientia abutens, diutius fortasſis qvam fas permittit, gratisſimam veſtram præſentiam detineo atqve exopto. Breviter ea qvæ reſtant complectar, & lætus tantorum virorū conſeſſu & benignisſimo vultu, reſiduum orationis meæ ſtadium abſolvam. Reducem meum Principem inter utriusq; Regii Parentis amplexus & lacrimas, votivis acclamantium ſtudiis implicitum reliqvi; qvi haud paria ubiqve fata & eandem fortunam in longa peregrinatione expertus eſt. Qvippe, providâ Numinis Cura & arcano qvodam Cœleſtium Conſilio, Caſſellam, Cattorum ſedem antiqvam, delatus, liber & invictus ad illa usq; tempora, fatali caſu in Dianæ Hasſiacæ, id eſt, Venuſtisſimæ Principis CAROLÆ AMELIÆ caſſes incidit, eiqve ſuam vitam credidit & omnem animum. Fingunt Poëtæ, Endymionem Jovis Filium de nocte Cœlum obſervaſſe, & primum admiratione lunæ, mox

dein-

deinde amore ita captum esse, ut à contemplatione clarissimi sideris dimoveri ægre potuerit. Haud secꝰ Endymion noster Melior, Jovis nostri filius & Generosissimus Heres, vix Hassiacum cœlum contemplari inceperat, cum posthabitis omnibus astris reliqvis, Dictynnam Suam inter sidera primum admirari, deinde vero deperire inciperet. Forma erat insignis, florentissimaqve ætas, &, qvem Augusta *Carola Amelia* à Divo *Wilhelmo Sexto, Hassiæ Landgravio, & Hedwige Sophia Brandenburgica* ducebat, summꝰ Generis splendor, modestissimæqve frontis honor atqve Majestas ita in sui amorem animum Herculis nostri abripuerat, ut Helitropio haud absimilis *soli* suo *Soli* animum daret & oculos. Annus agebatur seculi hujus sexagesimus septimus, Maji mensis dies qvartus, cum Patrimus Regius Sponsus exoptatissimum suum nuptiale sacrum, Populis rite faventibus, celebraret, & velut melior qvidam Deucalion, aurei seculi & futuræ felicitatis suis omnibus daret auspicia. Qvæ Conjunctio exoptatissima siderum benignissimorum vim suam & effectus saluberrimos per omnem fere Europam, inprimis vero

per Regna Septentrionalia ſparſit & inferiorē Germaniam. Qvippe ex illo tempore Potentisſimum Regnum Daniæ, Marchiam Hasſiamqve religioſe, conſtanter & ſancte amavit, Easqve modis omnibus contra communes Hoſtes aſſeruit. Sed & *Aquila* de *Leone* bene ſemper merita eſt, & fortisſimus Brennorum Neſtor conjunctisſimam ſibi Domum Regiam omni ſua Cura, prudentia, atqve Conſiliis adjuvit.

Permitte, Serenisſima *Carola Amelia, Regis Dominiq; mei Lux, & anima*, permitte, inqvam, ut, qvas ſine piaculo tacere non possum, incredibiles virtutes Tuas in transcurſu hic attingam. Prima Tibi & antiqvisſima cura fuit à Teneris, Deum ſancte & caſte colere, & legem ejus meditari nocte dieq;. Unde qvotidie Te dignam fingis Deo, & ſciens, Te peregrinā agere in terris, neglectis Mundi crepundiis, ſpem omnem & verum Tuum Regnum qværis in Cœlis, inter homines vero magna vivis, non magna loqveris. Poſt cultum Numinis Religioſum, qvod non tam accuratis precibus, qvam ſanctitate vitæ colis, Regem Dominumq; Tuum omni honore & amore proſeqveris, ex cujus fortuna nihil

hil Tibi nisi gaudium vindicas. Et licet post Nuptiarum Tuarum solemnia, irrita vota caderent diu, & Civium omnium preces atque suspiria eò incumberent, ut Invictissimo CHRISTIANO QVINTO ex Te, *Domina*, Deus daret, in quo radicata tot seculis Oldenburgicæ Gentis gloria propagaretur: Vicit tamen ad ultimum humanam diffidentiam divina benignitas, & Tibi, Regina Piissima, mansuræ felicitatis pignus utriusq; Generosissimi sangvinis, quodq; ardentissimâ votorum nuncupatione rogaveras Deum, incomparabile Munus, FRIDERICUM Tuum, Paternarum virtutum imaginem, tot Heroum Regumque Nepotem, spei nostræ præsidium ac felicissimum instrumentum permisit. Et tunc qvidem in cunis cernebatur publicæ salutis Alumnus, qvo tot Gentium seculorumq; securitas & fiducia continebatur, qui hodie Paterno lateri semper adhærens, post Tirocinia, imo jam virilis animi ac fortitudinis experimenta pulcerrima, rectam Civium suorum conscientiam ad clementiæ suæ usum provocat, atque attollit. Cæterum non unica modo Tessera gratiam suam Augustissimæ *Carolæ Ameliæ* firmavit Cœleste Numen,

sed prodeunt hodie longo ordine felicisſimi Thori Regii pignora alia pretioſisſima, quæ Magni Daniæ Parentis victrices Manus exoſculantur, Regiam Menſam cingunt, & virtutes ſuas in ſpem ſeculi datas bonis omnib9 probant. Natus eſt autem Serenisſimo Regi ex carisſima ſua *Carola Amelia*, mox poſt exortum Magni illius ſideris, Primigenii Filii, *Chriſtianus Wilhelmus*, alter filius, qui, poſtquam illuxit, ſe ſubduxit Orbi, & cito in Cœlum ad primam Spiritus Originem rediit. Poſt *Chriſtianum Wilhelmum* nat9 eſt *Chriſtianus*, Germen Stirpis Regiæ tertium, Princeps omnium longe Gratioſisſimus, Avis decorus, Avorum Decus ipſe & Regiæ Domus culmen ac Columen. Poſt hunc, terris ortũ eſt benignisſimum jubar aliud, Aurora diei pulcerrimæ, Sexus Sui miraculum & Decus ſummum, Serenisſima Venuſtisſimaq; Princeps, *Sophia Hedwig*, felicisſimæ indolis Filia Optimæ Matris, Virtutis & Gratiæ omnis Compendium. Quam ordine ætatis ſeqvebatur Illuſtre illud Deorum Munus, *Chriſtiana Carola*, Princeps incomparabilis virtute, formâ & omni Sexus Feminei decore, ſed quæ candidi Lilii inſtar, quod æſtatem vivit, non

æta-

ætatem, floruit quidem feliciter, sed defloruit velociter, & pro vetustate venustatem habuit. Post acerbum funus Christianæ Carolæ, Heros iterum ab Heroe, & Leo à Leone genitus est: Princeps nimirum Generosissimus, *Carolus*, qui Superum gratia singulari hodie adhuc superstes, Magnorum Parentū Spes magna est & dulce delicium. Carolum secuta tertia Princeps, quæ magno vulnere Regiæ Domus subito extincta, ne lucis quidem rudimenta & vitæ munus auspicata est. Ultimo loco natus est *Wilhelmus*, Regiæ Familiæ Nobilissimus Ramus, Divinæ gloriæ &, quod præsagia docent, melioris futuriq; seculi instrumentum insigne. Quem ut Dania haberet, diu rogavit, ut habeat diu, multum ubique rogabit. Et talis est Augusta nostra CAROLA AMELIA, talis est Heroum Heroidumq; Mater, per qvam Orbis illud Decus, Gloria Seculi præsentis & Exemplum Heroum, Magnus noster CHRISTIANUS Qvintus in filiis filiabusq; immortalis fieri debuit. Talis est Stirps Regia omni tempore præcox, & admiranda, quæ Augustissimi Parentis nomen servat, in qua Monarcha noster, velut in Lucidissimo Speculo, semet intuetur, & in di-

gnisſima hac prole ſe videt ſuperſtitē. Sed ad Te, Rex CHRISTIANE, revertor, ut egregias res Tuas, terra mariq; geſtas, in hoc Eruditorum Prytanæo exponam. Optaverat quidem Pietas Tua inſignis, ut tardisſime ſuccederes Serenisſimo Genitori, ſed maturabat Deus, virtutes Tuas ad Gubernacula Reipublicæ admovere. Dedit Te ergo Regem & quendā ſuum Vicarium in terris, non ignobili cuidam aut obſcuræ genti, ſed tali populo, qui Famæ ſuæ gloriam primam, & primordia potentiæ ſummæ à tempore primorum Regum Iſchraelis, & ipſa Mundi juventute derivat. Danis ſcilicet, Vandalis, Gothis Cymbrisq;, qvi Aſiam Europamqve perdomuerunt, &, ut infinita egregiè geſta omittā, Cæcilium Metellum, Papirium Carbonem, Silanum, Piſonem, Caſſium, Aurelium, Scaurum & alios Imperatores Romanos fugarunt, aliqvot exercitus Conſulares abſtulerunt, & Qvirini Jovis Indigetis maculâ æternâ ipſi Capitolio Tropæa ſua impoſuerunt. Hoc antiqviſſimum ſimul atq; nobiliſſimum Regnum vix Tumet, Sanctiſſime CHRISTIANE, ſuſceperas, cum ſagaciſſima mente excogitare inciperes, qvonam modo paternam heredi-

reditatem, haud satis bene affectam, constitueres, neqve Serenissimos modo Majores ubiq; ex asse referres, sed ingentium etiam rerum gestarum fulgorem, & æterna monumenta virtutis, adæqvares & vinceres. Quam ob causam nihil Tibi inter auspicatissima Regnorum primordia potius fuit atq; antiqvius, qvam ut, cum rerum infinita multitudo Regium Tuum animum in diversas partes traheret, omnium circa finitimorum animos jungeres societate, in mutua Amicorum benevolentia acqviescerés, & cum illis sociis, quos semel admiseras in hospitia, omnes Tuas curas omnesq; cogitationes misceres. Inprimis vero Nestorem illum Brandeburgicum, inter Divos nunc triumphantem, *Fridericum Wilhelmum Magnum*, illud Libertatis Germaniæ & Imperii Columen, sui & reliqvi orbis Phœnicem unicum, observabas atq; diligebas: à qvo vicissim non toto modo pectore admittebaris, sed Germani etiam filii loco amabaris. Nunquam Pylades Orestæ, nunqvam Pythiæ suus Damon, vel Pelopidas Epaminondæ, aut Lælius deniq; Scipioni carior fuit, quam Tibi, Augustissime CHRISTIANE, TUUS erat *Fridericus Wilhelmus*,

& huic vicisſim Regius Tuus, ab omni fuco alienus, animus. Contrahebat ſcilicet Tantū Regem Tantumq; Electorem, Genii ingeniiqve & morum ſimilitudo admirabilis, idem ſtudium rei Militaris & utriqve innatus Candor, Fides, Fortitudo atq; Juſtitia. Firmatis itaq; finitimorum Regum, Principum & Populorum animis, judices Tuo populo dabas, qui nec cauſis nec perſonis variarent, ſed in recenti ſemper memoria illud Divinum haberent oraculum, ſe non hominib9, ſed Deo, omnium recte perperamqve factorum arbitro & horum vindici ſevero, exercere judicium. Poſt illa cultui Divino & rebus ſacris devotum Tuum adjiciebas animum, ut, qvod Tibi ſubjecerat Deus, Regnum, Tu vicisſim ſubjiceres Deo. Qvam ob cauſam Clerum jubebas omne ſuum tempus inter Deum & literas dividere, novum juventutis examen præceptis pietatis erudire, & Gregem Chriſti ad Ovile Servatoris reducere. Cavebas autem inſigni prudentia, ne Coluber ille incantatus, humani generis adverſarius, Ephraim & Manaſſen i.e. Chriſti fideles Evangelicos, Lutheranos & Reformatos, in Regno Tuo committeret. Qvo pacto non

Ci-

Civicam ſolum humani Generis Coronam promeritus es, ſed, incredibili etiam Patriæ emolumento, inimicitias mutuas animorum & Civilem diſcordiam, tot Regnorum funeribus ac Provinciarū ſolitudine exultantem, ab Aris & Focis Tuis, imo ab omniū Civium Tuorum Capitibus & jugulis, avertiſti; Theologorum animos diſſidentes compoſuiſti, bellorum plusquam Civilium rabiem extinxiſti, &, eradicato omnis hoſtilitatis aconito, æterno fœderi omnes alligaſti. Rebus Divinis rite peractis, per omnia Maria, per freta & ſinus omnes, in omnia terrarum orbis Regna onerarias Tuas Naves dimittebas, &, velut alter qvidam Salomon, ex India & Ophir ebur, ex Sabæis terris thura, caſtoreumq; viroſum ex ultimis Europæ oris, & deniq; Auri Argentiqve copiam, Peruvianarum Arenarum theſauros, in Regnum Tuum inferebas. Ut, qvemadmodum Auctor Tuis fueras omnis Divini humaniq; Juris, ita Te etiam, *Rex & Domine Clementiſſime*, rei ſaluberrimæ tanto Imperio, i.e. copioſioris & Majoris Mercaturæ, conditorem & Servatorem poſteri famâ ferrent. Stetit ergo Tua ope, ſtabitq; & florebit inpoſterum, nobile Mercaturæ ne-

gotium,quod immortali virtute Tua jamdudum assertum est ab omni discrimine.

Ceterum non Te fallebat, *Domine*, rerum Tuarum cardinem maximè in eo versari, ut classem Martiam haberes probe instructam, objiciendam Tuis hostibus. Qvare jam Naves longas ad prælia aptas conficiebas, jam navigia præstantia magnitudine trabibus connexa ædificabas, exstructa tormentis, anchoris, velis & aliis rebus, qvas militiæ Navalis exigit usus, instruebas, aplustria imponebas Malis, Tutelas tali pictura cælabas, quæ nec sole nec salo posset corrumpi; qvibus omnibus Myoparones, & Lembos, celoces, præcursorias, speculatorias Naves, imo & Liburnas Pristesq; adjiciebas, ut vel commeatum adveheres Tuis militibus, vel hostium stationes conatusqve explorares atqve averteres. Classi tantæ Magistros dabas, Prætores atq; Navarchos, viros peritissimos, qvi navalem disciplinam & navigandi artem à puero didicerant. Qvi sciebant ex arte gubernacula movere, submittere vela, recte uti vento secundo, resistere adverso, & ventum dubium communemqve sibi vindicare. Præterea egregiis peritissimisq; Epibatis, sociis navalibus,

bus, nautis & Gubernatoribus classem Tuam instruebas, qvam deinceps Præfecto Maris summo, Illustri Heroi de Iuel, tradebas per Oceanum circumvehendam. Inter hæc ardua negotia navalis Militiæ, haud leves Te curæ impediebant, *Domine*, terrestris scribendi exercitus. Qvippe animadvertebas, veteranos tuis deesse copiis, & robur peditum Germanorum. Hinc certos ordinum Ductores, cum ingenti pecuniæ summa, ad conducendum in Germania militem, Hamburgum, Lubecam, imo & Regiomontum in Borussiam mittebas. Ad qvos in maritimis hisce Emporiis, abundante multitudine populi, magnus & fere incredibilis concursus factus est. Tanta virtutis Tuæ & Regiæ indolis fama erat apud Gentes exteras, ut cupido ingens omnium animos invaderet, sub Te Duce & Imperatore stipendia facere, grandia atqve insignia facta ostentare, & pro Tua Regniqve Tui salute animam prompte effundere.

Longum foret enarrare, *Domine*, quanta industria justissimum Tibi Exercitum paraveris, qvas Machinas bellicas ad Martios usus & urbium expugnationes collegeris,

qvot Tormenta, Mortarios, Bolides, Cudones, Bipennes, & alia instrumenta armaq; Militaria comparaveris. Redigam ergo omnia in compendium, & paucis verbis, quæ restant, dicam. Cum enim immortalia hæc opera edidisses, & non invictum modo exercitum terrestrem, sed classem etiam fecisses instructissimam, incipiebat Terrarum Orbis Te respicere & admirari, & alii quidem Reges Principesq; Europæ potentiam Tuam extimescere, alii vero & fœdera ac societatem Tuam anxie flagitare. Congregabantur igitur undiq; ad Te Legati maximorum Principum: Imperatoris Romani, Regis Galliarum, Regis Magnæ Britanniæ, Hispaniæ, Sveciæq; & Fœderati Belgii, &, quod mirari licet, ab ultimis etiam Europæ oris Rusfici Imperatoris Oratores advenerant. Qvi omnes Te, ut maximum momentum rebus suis adjicere, in Amicitiam suam trahere, & hospitium Tecum & societatem jungere annitebantur. Non est prætereunda incredibilis Tua constantia, gravitas, & fides, *Domine*, qvam universo hominum generi eo tempore probasti. Licet enim Gallia, nescio quæ Regna Tibi offerret, & accessione quadam Fortunæ

ingen-

ingentis generosisſimum Tuum ſollicitaret animum; malebas tamen fœdera inire cum Romano Imperio, & ab eorum ſtare partib9, qvorum cauſa Tibi juſtior videbatur. Diffuderat ſe eâ tempeſtate gliſcens antehac in cinere ignis; fomiteq; Gallico ſuſcepta belli atrocisſimi flamma ingenti incendio arderet & Hollandiam arripere inceperat. Qvippe Ludovicus, potentisſim9 hoſtis, eqvitum peditumq; propemodum innumerabili turba, velut cataclyſino qvodã, omnes unitas Provincias inundaverat, centum Caſtella, Urbesqve Munitas intra tot dies oppugnaverat, &, incertum virtute ſuorum an auro, expugnaverat. Videbatur actum eſſe de omni Belgio, & libertas Batavorum, ſplendor, & ipſa Mercatura triſtem animam agere. Quippe in tanta Mala præcipitatæ erant unitæ illæ Provinciæ, ut rerum humanarum ſpectaculum præberent omnib9 populis, & nusquam fere aliò, qvam ad Te, qverelas ſuas deferrent. Reſpiciebas ergo res afflictas moribundæ Reipublicæ, & data ultro citroq; fide, Te eosdem Amicos inimicosque cum Imperio Romano habiturum, ad colligendas Naufragii Belgici reliqvias, in auxilium Sociorum pro-

perabas. Monumento hic locus est, *Domine*, & tam illustre fidei perhibuisti exemplū, cui comparari non potest aliud. Qvippe eodem tenore sociis tuis fidem ita præstitisti, ut nō modo servatæ fidei socialis documentum possis esse futuris Gentibus, sed ne in minimo qvidem, toto illo bello Svecico, hospitii jura, Fas, dextrasqve & Deum, conventorum omnium testem & arbitrum, fefelleris. Vetor angustia temporis omnia recensere vel eloqvi, qvā generose Tumet seculi Decq, CHRISTIANE QVINTE, Martios labores & pericula belli subieris, qvomodo in urbiū expugnationibus civeris pugnas, & ad prima signa animo & fortitudine rem Militarem sustinueris; in præliis strenue pugnaveris, & inter flammas & hostium ferrum jam Ducis jam Militis munere functus fueris. Hoc saltem dicam, Te, *Domine*, mox deinde cum Svecis bellum rite indixisses, munitissimum Castellum Tœnningam, ut à tergo omnia tuta relinqveres, in potestatem redegisse, eiq; præsidiarium imposuisse Militem. Profectum deinceps cum omni exercitu per Ducatum Meckleburgiensem & Rostochium, haud procul à Ribnitz multas noctes sub Dio in

opere

opere & labore, obrutum imbre, nivibus atq; pruina, egisse, gloriam omnem, ærumnas militares divisisse cum Amicis, & æquo animo tulisse omnes molestias. Invenisti sæpe inter abrupta absciſſaq; viam, ipsamq; Naturam ita fatigasti, ut nihil tam alte constituerit Natura, quo virtus Tua non enixa fuerit. Tribse, inaccessum Pomeraniæ propugnaculum, Tuo auspicio quidem, ductu vero Illustrisimi & generosisimi Herois, Comitis de Reventlau, in ditionem accepisti. Qui Minister Tuus fidisimus, ea tempestate voti diuturni damnatus, princeps ex ordinum Ducibus Lauream victoriæ & primos captivos Tibi, *Regi Dominoq;* obtulit suo. Voti dixi diuturni compotem factum esse Reventlovium, qui, ut intellexi, Neostadii ad Mare Balthicum supinas manus ad Cœlum sæpius tulit, dixitq; ad Familiares: Utinam, ô boni, meis in fatis esset, ut, re aliqua præclarè gesta, Deus mihi indulgeret pro Regis mei gloriâ mortem occumbere. Quod suum votum perenne, fere iisdem verbis quoq; vexillo Turmæ Eqvitum prætoriæ jusserat inscribi, hoc epigrammate: Uni servor & uni servo. Sed ad Te me rursum vocant armorum Tuorum exoptatisimi

ſucceſſus, *Domine*, qui fere eodem die, cum Tribſe occuparetur à Tuis, Damgardam, aditum illum in Pomeraniam, ſitu naturaq; loci fere inexpugnabilem, expugnabas: à quo olim VVallenſteinius, Summ9 Cæſariani Exercitus Imperator, cum quadraginta millib9 Armatorum, amiſſo Militum flore, rebus infectis diſcedere coactus fuerat. Deinde ad alteram Martis Tui gloriæq; aream pergebas, & *W*ismariam, dignum illud virtute Tua theatrum, obſidebas. Ubi non cum fortisſimo tantum hoſte Tibi Tuisq; erat pugnandum, ſed cum iniqvisſimo anni tempore; qvod perpetuum gelu, imbres, nives atq; pruinæ magis exercitum Tuum qvam hoſtium ferrum abſumeret. Foſſæ & cuniculi aqvis & glacie erant repleti, ut nec militem capere, nec contra Tormentorũ fulgura quemquam poſſent defendere. At Tu, CHRISTIANE Serenisſime, exemplar omnis tolerantiæ & Fortitudinis, fatigatos milites erigebas, territos leniter caſtigabas, congiariis reddebas alacriores, & princeps ipſe opera Tua & Munitiones qvotidie ingrediebaris, ultimus vero excedebas. Cum oppidanorum ferocia creſceret, & immanem illi ferreorum globo-

rum,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788032461/phys_0056
DFG

rum, bolidum & volantium pilarum procellam in ſubeuntes effunderent, incredibili animi conſtantia omne periculum ſusq; deq; habebas; Adeo ut, cum ad Latus Tuum vexillario crus auferret globus ferreus, ipſe nihil commotus, eodem habitu oris, propius ad Urbem accederes. Donec obſtinata VVismaria victas porrigeret manus, & Victoris ſe gratiæ atq; arbitrio permitteret. Captivos Tuos non in carceres & obſcura ergaſtula detrudebas, ut cum mœrore ibi & multo luctu morte graviorem vitam exigerent, ſed omnia vincula ita ſolvebas victis, ut qvas antea compedes tulerant collo, eas corde deinceps animoq; ferre inciperent, i. e. amore Tanti Regis iterum conſtringerētur, & in novū amoris Cippum ſua ſponte ſe totos traderent. Poſt æterna hæc documenta Fortitudinis, Civium Te deſideria in Daniam revocabānt, & amorem caſtrorum ſuperabat Patriæ Langventis Caritas. Reverſus itaq; diu exſpectatus, victor & triumphator, Lauream primam Regiis Tuis inferebas Penatibus. In itinere autem, ſine pompa, ſine tumultu exigendi vehiculi, neceſſariis qvibusdam & Amicis comitatus, exemplo Metelli, Trajaniq;

Augusti, castrensi cibo sæpe utebaris, & agresti poscâ sitim repellebas. Post felicissimum reditum in Patriam, prima Tibi cura erat Communi Deo publicè pro meritis atq; victoriis agere gratias, & Divinum auxilium ad instans vernum bellum porro implorare. Qvibus rebus peractis supplementum scribere aggrediebaris Tui exercitus, & deinde, ad recuperandam Scandinaviam, copias omnes in naves impositas trajiciebas. Terribilis erat longa Littoris curvati facies, qvod eqvi Viriq; compleverant; Et hic quidem in aere tot vexilla vibrata à signiferis fluctuabant, ibi hinnitus tot eqvorum, & horrendus armorum strepitus auras fatigabat. Sed pugnabat pro Te, Felicissime CHRISTIANE, columen nostrum & decus unicum, pugnabat inqvam pro Te, primum Fama celebrati Tui nominis, deinde incredibilis virtus Ducum Tuorum, atq; Militum omnium. Adeo ut hostis, temeritate atq; audacia insignis, non expectato adventu Tuo terga obverteret advenientibus, & insua sibi lustra protenus se reciperet. Venisti ergo, vidisti atq; vicisti, & omnem fere Scandinaviam, intra exiguum temporis intervallum, subegisti. Elzenburgum

gum vi & virtute Militum expugnasti; Coroniam deinde totis viribus aggressus, impetu facto, momento, medioq; die in conspectu hostium cepisti, Christianostadium, & alias munitissimas urbes Leoni Danico iterum subjecisti, & aliquot prælia terrestria, eaque atrocissima, aperto Marte commisisti. In qvibus semper ibi, ubi *Regia Majestas Tua* ad prima signa animo atqve virtute ad stuporem omnium rem strenue gereret, passim cædes & vulnera, hostiumq; fuga videbatur & plurima mortis imago, unde recesseras, acies interdum inclinabatur, & res minus prospere gerebantur. Neq; terra solum invictus ubiq; stetisti, *Domine*, sed Balthicum Tuumq; Mare ingressus, tota Sveciæ littora terruisti, & primus omnium Regum Daniæ, trium Navalium victoriarum intra tres annos Triumphos duxisti glorioſissimos. Non est omittendum hoc loco fortunæ qvoddam Ludibrium, qvod casus in primo navali prælio edidit. Totam scilicet Svecorum classem undecim Danicis navibus, (nam reliquæ officium plane non fecerant) profligatam esse, & Regiam qvandam navem, quæ florem vehebat Nobilissimæ Juventutis Svecicæ, tribus

ferreis globis sub undis perforatam & deinde, magno hominum ululatu, plane submersam esse. Laudarunt ipsi hostes insignem Tuorum virtutem, & magno suo malo didicerunt, non degenerare Danos præsentes à Majorum suorum virtute & fortitudine. Quæ vero monumenta Fortunæ pariter atque æternæ gloriæ *Regia Majestas Tua* in Norrvvegia, per Illustrem Heroem Guldenlovium, statuerit, qvomodo sæpiꝰ in Gothiæ finibus profligaverit hostem, Marestrandium subegerit, & Insulam Rugiam, humanis Conatibus ferè inaccessam, bis Svecis eripuerit, Fama perpetuo loqvetur, & prædicabit per omnes ætates hominum. Et tunc qvidem inter hos Tuos Triumphos Pax insperata fuit cum infensissimis hostibus; Ubi Tumet, *Auguste*, iterum & Constantiæ, & Fidei, & Generositatis singularis, exemplum dedisti in Orbe viventibus. Qvippe non ad ultimum modo datam fidem Sociis præstabas, propter qvos bellum susceperas; Sed urbes & Regiones omnes, qvas victrice expugnaveras Dextrâ, publicæ Tranqvillitati & Bono publico restituebas. Manebit igitur atq; durabit Christiano Orbi, & inprimis Germaniæ,

im-

impressus Tui Amor atq; ingentia merita,& ipsum Hamburgum,florentisimum Germaniæ Emporium,bis à CHRISTIANO QVINTO non magis expugnatum quam servatum, fortitudinem *Tanti Regis*,& Clementiam Victoris sui seculis omnibus prædicabit. Deinde Pax amœnisima Tuis in Regnis florebat,& fides atque justitia se mutuo complexæ regebant Civitates. Inter reliqua autem tam gratæ pacis opera,silentio non possum præterire,quæ bona Tumet,Sanctissime CHRISTIANE, miseris Gallorum Exulibus & Reformatæ Ecclesiæ feceris. Sævire in Eam,sub illa Pacis tempora, in Gallia cœperat atrocisimæ persecutionis tempestas Decumana, & Reformati omnes vitam ducebant sine vitæ solatio,ut rogus etiam atque triste exilium miseris esset magna felicitas. His tantis Ecclesiæ Reformatæ vulneribus gravisimis, Tumet, CHRISTIANE, non Gentilitio quodam, sed Tuo proprio jure Christianisime censende, benignam manum admovisti, absterisisti lacrimas, & publice ostendisti, præcipuum fidei præceptum esse, omnibus benefacere. Et hic quidem CHRISTIANI animus fuit,imo & anima,&,qui Fidei Tuæ est Genius, Genius quoq; fuit inusitatæ illius misericordiæ. Qvamobrem omne Reformatum Nomen,cùm in Alma hac Viadrina Universitate,tum pasim alibi,omni loco omni tempore vota ardentia pro Tua suscipit salute,nec minus pro incolumitate *Regiæ Tuæ Domus*, quam pro privatis Penatibus atque carisimis *Pignoribus*, preces ad communem Deum fundit. Agnoscunt præterea omnes,agnoscunt singuli,prudentiam & pietatem clarisimorum Heroum, Guldenlovii, Reventlovii,& Erenscildii,virorum æterno dignisimorum encomio, qvi *Regiæ Tuæ Majestati* auctores fuerunt gravisimi atq; glorioisisimi Consilii. Sed ad finem Orationis meæ propero, magnitudine rerum fere oppressus atque confectus. Licet enim ingens adhuc dicendum Decus restet, & enarrandum sit omnino,quæ merita superiori anno *Regia Tua Majestas* Orbi Christiano præstiterit, dum neglecta Societate & Fœdere Gallorum,partes Imperii sequi, & proximo Suo Agnato, *Duce Holsatiæ* Serenisimo, iterum bono Amico uti voluerit. Nolo tamen rem actam agere, &, cum illustre hoc

Argumentum ante Menſes aliqvot in Celeberrimo hoc Muſarum Athenæo ſumma cum facundia ſit tractatum, nauſeam parere illuſtri huic Auditorio. Quod itaque reliqvum eſt,& ego nunc unice poſſum, Deum auctorem hodiernæ felicitatis & Gaudii, Cuſtodem Imperiorum omnium & Præſidem precor,ut Tui uſuram, Optime Sanctiſimeqve CHRISTIANE,quam diutiſimè velit rebus humanis concedere,hodiernum diem ſæpius reducere atq; efficere,ut ſero in Cœlum redeas,unde ad nos profectus es. Faxit Deus, Deus pacis atq; juſtitiæ,ut,extinctis ubiq; armis,pax ſua non Imperio modo Germanico & reliquo Chriſtiano Orbi, ſed Eccleſiis etiam omnibus Te Auctore redeat maneatq;. Qvo Tu,*Rex Auguſte*, porro audias atq; dicaris

Delicium Orbis Univerſi
Civium Amor
Seculi Ornamentum
Spes Tuorum
Terror hoſtium
Virtutum delicium
Exemplar Principum
Juſtitiæ Aſylum
&
Afflictæ rei Chriſtianæ,meumq;,unicum præſidium atq; Solatium.

Servet porro benignisſimum Numen Serenisſimam CAROLAM AMELIAM, Patriæ meæ & tot Heroum atq; Heroidũ piisſimam Matrem. Servet Serenisſimum FRIDERICUM, ſuis meritis & humani generis ſuffragio dignisſimum Danico Imperio Heredem. Servet Eum utriq; Serenisſimo Parenti, ſervet Eum Eccleſiæ Dei, Patriæ,& bonis omnibus, imo & mihi. Servet reliqua Lucidisſima *Sidera Regii Firmamenti*, nec ante Illa occidere patiatur terris,qvam gloria Regiæ Domus cum Orbis totius Machinâ universâ finem habebit, & ſuum exitum ſortietur. Dixi.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788032461/phys_0062
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788032461/phys_0064
DFG

cto longissimi erroris curriculo, velut Titan Orbis melior, ad primam stationem reverteres. Date veniam, Patroni & Proceres Universitatis Excellentissimi humanissimiqve, date veniam, rogo qvæsoq;, meæ pietati & honesto ut spero, conatui: Si vestra patientia a[illegible]us fortassis qvam fas permit[illegible]m vestram præsentiam detine[illegible]o. Breviter ea qvæ restant con[illegible]tus tantorum virorũ consessu[illegible]mo vultu, residuum orationis [illegible] absolvam. Reducem meum [illegible]ter utriusq; [illegible]ii Parentis amp[illegible]mas, voti[illegible]ntium stud[illegible] relig[illegible]a ubiqv[illegible]em [illegible] egri[illegible] da N[illegible] & a[illegible] stiu[illegible] assella[illegible] anti[illegible] liber & in[illegible]q; tem[illegible]su in Dianæ [illegible], id est, [illegible] Principis CAR[illegible]Æ AMELIÆ [illegible] eiqve suam vitam credidit & o[illegible]n. Fingunt Poëtæ, Endymio[illegible]um de nocte Cœlum observ[illegible]n admiratione lunæ, mox dein-





Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788032461/phys_0065
DFG